

10/15

10/15
10/15



21

789

I. N. J.
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
MEDICAM
DE
PERVIGILIO,

Consentiente
Gratioso Ordine Medico in Illustri Salanâ,
P R Æ S I D E
Viro

Excellentissimo, atque Experientissimo

**DN. GEORGIO WOLFFGAN-
GO WEDELIO,**

Medicinæ Doctore, Theoret. P. P. Archiatro Duca-
li Saxonico, & S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum
Adjuncto,

Facultatis Medicæ h. t. Decano,
Dn. Praeceptore & Patrono suo summè observando,

PRO LICENTIA

assumendi Doctoris gradum

Publico examini submittit

PAULUS GOTTFRIED Sperling/

Wittebergensis Saxo,

In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis,

Ad diem Februarii, Anno 1680.

JENÆ, Typis WERTHERIANIS.



742

PROOEMIUM.



Non semper in Macrocosmo lucida cœli fulgent sidera ; quandoque atra nubes in largos imbres solvitur. In Microcosmo pariter non semper luce suâ totum corpus irradiat anima ; sed interdum, obnubilato cerebro, placido sopore fessa sepeliuntur corpora. Et sicut in naturâ nox & dies se excipiunt ; ita in viventibus somnus & vigiliæ. Quin tanta caduci generis humani est fragilitas, ut somno, ipsâ mortis imagine, dimidiam penè vitæ partem tranfigat.

Hujus cum vigiliis vicissitudinis jam olim *Hippocratis* tanta visa est necessitas, ut alterutrius defectum funestum prædicaverit. Raro continui imbres suo colonum voto damnant : sic sæpius, ubi ex immoderato somno vitalis flamma suffocatur, omnis salutis spes decollat. Perpetui contra folis ignes latas comburunt segetes ; non minus vigiliæ excedentes vitalis flammæ pabulum heluonis in morem depopulantur strenuè.

De somni vitiis passim Practicorum scatent libri, pauci invigilarunt vigiliis. Nihilominus mirandis plane viribus sæpius perditum eunt totius mundi compendium. Adde, quod potissimum literatis mortis accelerent necessitatem. O quantus hîc labor est, ut in ignotos oculos somnus veniat ! Videas non raro vel cum ipso Hesperidum dracone vigiliis decertare ægros, licet nil relinquas intentatum.

Movit me mali pertinacia, ut, loco INAUGURALIS SPECIMINIS, ejus curam breviter delineare sustinuerim. Imparem quidem meis ingenii viribus laborem me suscepisse, me non fugit. In cerebri enim, tanquam obsignati clau-

stri, recessus intimos ac penetralia hinc inquirendum est; cuius ægritudines ab autoribus semper arduæ cognitionis & intricatæ habitæ fuerunt. Ludunt certè hinc spiritus animales oculatissimam anatomici manum, omnesque hominum externos fugiunt sensus; sufficiat tamen, me hunc intendere scopum.

Quo ipso aliqualem veniam mereri iudicabor, si circa hoc pervigilium quandoque dormitaverim: Insomnes enim noctes in eo ducere nec libet, nec sanitati proficit, quo circa nullam quoque olebit lucernam. Jubeat Supremum Numen, ut omnia in sanctissimi nominis sui cedant gloriam, proximique commodum.

CAPUT I.

De Definitione nominali & reali.

Amabili consuetudini ut demus aliquid, prius de vocis usu erimus solliciti. Eruitur ille ex triplici fonte Philologico, ubi primum se sistit

ETYMOLOGIA; ratione hujus *pervigilium* dicitur, quasi perpetuæ vigiliæ, à vigore continuo operationum animalium; quando ægri vel planè nullo conduntur sopore, vel adeo parco, ut pro restaurandis viribus non sufficiat, & somni vix mereatur nomen. Hinc est pervigilare, quod notat totam noctem, imo & diem & noctem sæpè insomnem ducere, unde Poëta dicit:

Nam vigilare leve est, pervigilare grave.

Succedit HOMONYMIA, juxta hanc pervigilium generaliter quis appellare posset etiã *naturales* vigilias, diurnis muneribus destinatas, studio vigilatis noctibus; vel *non naturales* ab aliquâ re non naturali inductas, nondum tamen lædentes, vel periculum minantes. Specialiter quoque pro militum vigiliis, nocturno tempore excubias agentium, sumi posset. Frequenter etiam olim de sacris nocturnis usurpatum

(S)

748

tum fuisse pervigilii vocabulum commemorant *Lexicographi*. Nos in presentiarum usitatissimam retinemus significationem, pervigilio *præternaturales* à morbofo corporis statu oriundas vigilias denotantes. Agmen claudit

SYNONYMIA, quæ varia suggerit vocabula, ab Autoribus huic affectui imposita. Modo enim insomniæ venit nomine, *Gellio* autore; modo pervigilatio audit. Alii vigilias nocturnas, ut *Celsus libr. 2. cap. 1.* contumaces, nimias, morbofas nuncupant. Græcis dicitur ἀϋπνία, quasi dicas, insomneitas, somni carentia, & ἀγρυπνία, per epenthesin literarum γρ, quorum, ut & verborum ἀγρυπνέω, ἀγρυπνέω, ἐπαγρυπνέω &c. singulorum *primitivum* est ὕπνⓄ somnus, quod quidam deducunt ὡδὸ τὸ ὑπνέειν, quia dormientium respiratio non est adeo sublimis; alii ὡδὸ τὸ λύειν τὰς πόνας, quasi dicas λύπονⓄ, quia in somno labores cessant. Galli appellitant la Veille perpetuelle, item faute de dormir, & de ne pouvoir reposer. Germani: Ein stetes Wachen/wenn man nicht schlaffen kan / wenn man sich abwachet. Quod notanter presso pede insequentem virium debilitatem exprimit.

Postquam has verborum evitavimus syrtes, sequentem pervigilii realem ponimus descriptionem:

Pervigilium est continua eaque involuntaria operatio omnium actionum animalium, potissimum sensus communis, à prodigâ spirituum animalium, per totam cerebri substantiam, & nervosum genus effusione, & præter naturam perennante, dependens.

GENUS est continua operatio & durans ἐνέργεια actionum animalium. Sicuti enim in somno hæ, communiter ita dictæ, cessant; ita hîc indefinenter vigent omnes, quas ideo, contrarietatis vi ducti, pervigilio formalem rationem dare judicamus.

Continua est operatio, non semper in rigore sumpto vocabulo, sed quandoque tantum habito respectu ad statum naturalem, & corporis indigentiam; quia, licet quandoque per somnum actus illi componantur, prius tamen, quam in sanis accidit, repetuntur, & plerumque post noctis meridiem

A 3

mo-

molestare solent ægros. In hoc igitur ferè tantum à naturalibus discernuntur vigiliis, quod hæc cum somno interpo-
 lentur, illæ vel nunquam cessent, vel ultra debitum tempus
 extendantur. Involuntariam insimul operationem appel-
 lamus, ut contradistinguamus ab iis vigiliis, quæ de indu-
 striâ, negotiorum gratiâ, instituuntur, & ad res non natura-
 les pertinent. Sensum communem hic potissimum labora-
 re statuimus, quia ille minus, ac externi sensus, caligine no-
 ctis impeditus semper cooperatur, & internuncius perpe-
 tuus commercii animæ cum extraneis objectis existit; ex-
 terni vero sensus non semper omnes, quandoque tantum
 tactus vel auditus exercentur. Hinc etiam *B. Sennertus in praxi*
l. 1. part. 2. cap. 1. p. 227. vigilias sensus communis symptoma ap-
 pellat, & *Galenus l. 2. de symptomat. diff. cap. 3.* duo egregia circa
 primum sensorium symptomata consistere dicit, soporem &
 pervigilium. Contrarium tamen arridet *Sylvius l. 2. praxeos p. 412.*

Cum autem continua hæc operatio præter naturam
 sit, animale robur dejiciat, & totius ruinam minitetur; ne-
 cesse est, ut, juxta usu receptam divisionem, vel sub morbi,
 vel causæ, vel symptomatis veniat nomine. Nos, quia præ-
 ternaturalis partium constitutionis productum est per-
 vigilium, symptoma esse, & ad symptomata facultatis
 animalis depravatæ pertinere dicimus; quanquam alii ad
 peculiarem actionum auctarum classem, citra necessitatem,
 referunt. Si verò quis per impotentiam restaurandi vires
 per somnum; vel causaliter, per dispositionem præternatu-
 ralem cerebri, & spirituum animalium liberam expansionem
 definire gestiat, & ad morborum genera referre, illi liberum
 relinquimus. Si enim perpendimus, Euripo mutabiliorem
 affectum modo solitarium, modo cum gravioribus aliis, ut
 febribus continuis, maniâ, melancholiâ, & omnibus dolori-
 bus gravioribus ingruere, ipsumque multa alia non raro produ-
 cere symptomata, non minus, quam interdum ab his depen-
 dere; facile quis concesserit, diverso hoc respectu modo ad
 symptomatum, & quidem urgentium, modo ad morborum,
 sed

(7)

sed improprie, classem ipsum referri posse. Metaphoricè etiam alii per sensuum exolutionem vigiliam definiunt, uti somnum illorum pedicam & obligamentum appellitant.

CAPUT II. De Subjecto.

SEDES somni & vigiliarum quænam sit, non una omnium mens est. Conveniunt quidem in hoc *Philosophus & Galenus*, esse eandem ἐν τῷ πρώτῳ αἰσθητικῷ, in primo sensorio, consentiunt etiam somnum & vigiliam esse τῶν αἰσθητικῶν affectiones hujus partis; Dissentiunt verò in hoc, quod prior l. de somn. & vigil. cap. 2. ipsumque sequentes Philosophi nonnulli in corde id locent, adeoque & ibidem somnum & vigiliam contingere asserant; hic verò & medici communiter in cerebro. Vid. latè *Galenus l. 1. de sympt. caus. c. 8.*

Willisius de anim. brutor. cap. 16. p. 130. pro immediato somni & vigiliarum subjecto habet majorem animæ sensitivæ portionem in cerebro radicatum, quæ ipsi nil nisi facultas & spiritus animales sunt. Hanc sicuti in somno quasi vela dimittere, intra proprium sinum suo velut capite recondito, statuit; ita contra in vigiliis ad exteriora rapi & continuo expandi eandem ab ejus mente non videtur alienum,

Cartesius uti Dioptrices cap. 4. pag. 89. omnium sensuum subjectum animam esse dicit; ita & vigiliam, ceu horum affectionem, huc quoque referre necesse habet. *Helmontius libro jus duumviratus dicto*, in stomacho & liene primario residere malum asserit.

Nos pro principali subjecto, quod primum afficitur, habemus CEREBRUM cum spiritibus animalibus conjunctim sumptum; hoc læso quippe ut somnus, ita & vigiliæ fiunt, huic, inducendis iisdem vel propulsandis, remedia adhibemus. Cum verò hoc Anatomicis in corticalem & medullarem substantiam dividatur, & affectus forma in animalium actionum operatione consistat; ideo medullarem cerebri

746

§(8)§

reberi partem primario affici judicamus, quæ emporium potius spirituum est, quam officina, & in corticosâ cerebri substantiâ maximam partem genitos, nervis committit. Sicuti enim ex supra dictis supponimus, sensum communem potissimum in pervigilio laborare; ita, vel ob hoc solum, interiori magis cerebri partem affici, non est improbabile. Sensus enim communis sedem, ceu regis & judicis, in medulla cerebri necessario locavit natura, ut ibi, tanquam coram tribunali, convenient ab externis quinque sensibus, ceu famulis demissa. Hic non minus auditus, quam visus, & reliqui, sigillatim visa & audita deponunt, & æquum reportant judicium.

Spiritus animales, in denominatione loci affecti, cum cerebro jungendos duximus, quia isti actionum animalium proximum sunt instrumentum, quo, si non omnes, singulas tamen voluntarias exequimur functiones. Sunt igitur hi subjectum *adequatum*, Institutionistis inhætionis dictum, sicuti cerebrum *denominationis* subjectum est proximum.

Hos inter spiritus magis illos affici statuimus, qui intra cerebri interiori substantiam scaturientes, circa corpus callosum, & decem nervorum parium insertiones, memoriæque phantasiæ & sensus communis sedem propullulant, & graviori nisu sensuum & motus spontanei actus exsequuntur. Hi enim, ceu in alveo collecti, etiam in naturali statu, non tantum postremum per arterias immixtas audiunt habenas; sed & omnibus aliis expatiantibus, quacunque denique in parte subsideant, facile motus mandata deferunt. Sicuti contra hi languidi decumbentes non raro ab excubitoribus aliis, occurrente quodam objecto sensibili, aut à quiete, citius quam par est, excitantur, aut in motu continuo servantur. Remotè totum nervosum genus, cor & principales partes, & hinc remotissime totum corpus afficitur. Ubi enim operosa actionum animalium pensa cerebrum, cum spiritibus emissariis, per vices, uti quidem debebat, deponere non permittit, ibi reliquæ partes, tanto oneri ferundo



(9)

747

do impares, quicquid superior delirat, plectuntur strenue.

Ultimum etiam in animam redundat malum, quatenus illa, ob organorum lationem, nunquam quasi subducere se se potest a commercio cum extraneis objectis, sed semper, sui ipsius ingratis, actionibus animalibus, cum sensuum energiâ conjunctis, præesse cogitur. Quocirca illam hoc modo affici, & remotè pro subjecto haberi posse, non negamus. Quo sensu etiam *Magnifici Schneideri*, venerandi istius senis, opinionem, *libro de morbis capitis 3. cap. ii. de naturâ somni pag. 441.* & passim in antecedentibus propositam, quæ animam, cum vi animadversivâ, pro subjecto agnoscit, mente & manu amplectimur, illamque à *Willisio*, loco supra citato, *pag. 128.* citra omnem causam taxari nulli dubitamus; potissimum cum ipse in sequentibus ferè eandem, saltim paucis mutatis, foveat sententiam.

Cerebrum afficitur in pervigilio quandoque per essentiam, ubi ob dispositionem præternaturalem, vel spiritus efferos & nimis activos producit, vel horum motum, per propriam substantiam, non inhibet. Quandoque per consensum, ubi vel excellens sensile, vel certa quædam pars, ut uterus, hypochondria &c. vel undecunque extrinsecus ingruens causa, spiritus turbatos continuis agitat circumgyrationibus.

CAPUT III.

De causâ immediatâ & medietis proximioribus.

CAUSAM, inter quam & effectum alia non intercedit, PROXIMAM & IMMEDIATAM aliàs dictam, in nostro affectu statuimus spirituum animalium, per totam cerebri substantiam, prodigam effusionem & motum præternaturaliter, perennantem; sic ut ab ejus meditullio in corticosam partem, omnesque nervorum propagines, vel continuo, vel diutius, quàm par est & copiosius expandantur. Prodigam tantum

B spi-

748

spirituum animalium effusionem, saltim respectu habito ad somnum, inducere vigilias, hoc rationis momento ducimur, quia non quævis ipsorum lenis undulatio statim somnum profligat. Videmus enim quod placidissimo licet somno oppressis insomnia nihilominus contingant varia, quæ sine spirituum animalium agitatione neutiquam produci possunt. Et licet quidam has nocturnas phantasiæ operationes ab excursu inordinato quorundam spirituum in cerebro ligatione solutorum deducant, quos ideo tantum confuse prius edoctum motuum typum repetere putant; nihilominus vero magis consonum videtur, quosdam animales spiritus omnimodè colligari indociles esse, & omnem somni captivitatem effugere; ut ita semper magis subtiles, quasi ad Sisyphum damnati, inter manipulorum superioris ordinis silentia, & quasi sepulturam, velut spectra in cœmeterio obambulando, excubias agant. Phantasiæ enim vires neutiquam in somno apparent mutilatæ, cum hæc non raro exactissimè repræsentet species à sensu communi sibi delatas, ipsamque memoriam non minus, ac in vigiliis, afficiat, novasque insuper & planè alias species, nunc addendo, nunc subtrahendo, pro placito suo, proprio Marte fingat ac pingat. Neque in solo cerebro talem spirituum motum per somnum contingere certum est. Omnes enim corporis partes, etiam remotas, ad insomnia, imprimis naturalia, materiam suppeditare cernimus. Sic genitalia, semine turgidula, phantasiæ, quid patiantur, candidè exponunt; quæ postea, in ipsorum gratiam, venerea fingit insomnia. Sic lien, stomachus, cor, ipsique humores, pro ratione constitutionis suæ, stupendas sæpè inducunt apparitiones. Quæ non nisi à spirituum, in illis partibus excubantium, motu ad phantasiæ & memoriæ tabernas dependent. Hinc tunc quoque temporis spirituum, in præternaturaliter constitutas partes, influxus imminutus autor existit, ut phantasia marmoreas quandoque per somnum illas fingat, & paralyfin hoc modo præfagiat. Quæ nec dum in somno adeò exiguum, aut inordinatum spirituum



749.
 um esse motum comprobant. Adde durabilem istam & nunquam interruptam spirituum agilitatem absolute in viventibus esse necessariam, quia si totalis spirituum animalium effluxus e cerebro præcluderetur, statim totum systema nervosum eclipsin pateretur. In apoplexiâ enim, ubi tale quid contingit, membra flaccescere, & per exiguum tempus, si quidem fortis est, naturalem servare calorem cernimus; quale tamen quid in dormientibus non occurrit, cum calor in illis potius incrementa sumat, & membra æquabili vigore persistent prædita. Quocirca potius tantum imminui, quam in totum inhiberi spirituum motum in somno non est improbabile. Hinc etiam excellentissimus *D. D. Præses*, Præceptor meus plurimum æstimandus, cui pro quinquennali informatione fidelissimâ nunquam satis dignas referre valeo grates, *Physiolog. med. sect. 4. cap. 13. pag. 327.* saltim secundum quid cesare undulationem & motum spirituum animalium in somno statuit. Videmus insuper quod puncti excitentur, & dormientes corpus vel nescii agitent, volvant, loquantur, indicio evidenti concurrentium & cooperantium spirituum. Moveri igitur eosdem in proprio corpore, sibi relicto, & coctioni, nutritioni, aliisque officiis vitalibus quoque ancillari certum est, licet non ad extra, quod fit in pervigilio, unoquoque sensu tanquam emissario offerente objecta sua. Si denique in illorum sententiam abire mens est, qui omnem in corpore motum à spiritibus animalibus deducunt, inter quos *Excellentissimus Bohnius*, ceu luna inter minores ignes, emicat, rem in vado esse nulli dubitamus. Hæc si spiritus animales somni quoque tempore in motus libertatem vindicant, ad oculum patebit, non quorumvis spirituum animalium in organa sensoria influxum, sed tantum copiosorum, qui fortius exerceri solent, pervigilii causam esse proximam.

Porro requiritur, ut spiritus isti per totam cerebri substantiam circulentur. Alias si ad sensus communis & memoriæ sedem non pertingunt, tantum abest, ut pervigilium

750

inducant, ut potius noctambulos efficiant. In illis enim factis fortiter per ipsam cerebri substantiam agitari Spiritus animales, docent nos ipsorum mirandæ operationes, quibus vix vigiles pares esse possunt, cum nihilominus somno detentos videas. Quod ideo contingit, quia in illis spirituum excursus non ad totam cerebri substantiam protenditur, sed tantum quidam manipuli deorsum versus nervos & partes motrices gressum dirigentes sensum communem & memoriam præterlabuntur, unde & actorum non ut somniantes recordantur.

MEDIATA PROXIMIOR ergo causa sunt sine dubio humores, illecebræ spirituum, imprimis, si usitatis loquamur terminis, quoad *essentiam*, biliosi & melancholici, qui suo sensu utriusque feri seu lymphæ modum dicunt. Biliosum enim serum, quando vel particulæ roridæ deficiunt, vel sulphuræ coagulata non resolutæ sunt, spiritibus fervorem & impetum conciliat potius, quam ut eosdem irretiat. Emissionuntur inde halitus non viscido rore madentes, sed tantum acres & sicci, qui ob particularum suarum nimiam agitationem non tam facile in aquam coeunt, sicuti impetuosos ventos semper magis exsiccare experimur. *Vid. Cartesius de meteor. cap. 3. p. 212.* Isti igitur halitus spiritus blande completi & loris uti nesciunt, sed intra ipsorum consortium admissi, omnibusque compedibus soluti aurigant indefinenter, nulloque parcunt stimulo. His accedit, quod spiritus animales dephlegmati & vegeti nimis ac expediti, alcalinam quasi penitus æmulentur naturam volatilem, unde cerebri substantia quasi inflatur, ut ejus pori perpetuo hient, nec præcludantur, vel sufficienter demulceantur.

Ut verò feri hic status ad alcalinam naturam deflectens pervigilii causâ frequentissima existit, ita non minus, licet vel maximè ejus quantitas adsit, si vappescat, si acetosis fixis particulis, sulphur vaporosum, blandum, vitale obtundentibus, scateat, ineptum redditur ad fovendum somnum. Ita enim lymphæ, quæ colluvie suæ & blandis vaporibus cerebri
poros



poros foris spectantes & magis patentes occludere, vel re-
ctius ut conniverent procurare deberet, quo spiritus aqueis
dulcibus exhalationibus immerfi, & viscosis sulphureis irre-
titi introrsum ad requiem coacti ejus subderentur jugo, ob
siccitatem hanc potentialem quoque, uti priori casu actua-
lis magis est, ob acrimoniam acetosam salinam, ob fixitatem
& particularum figuram externam evaporationi & occlu-
sioni pororum minus apta est, de quo *vid. Cartesius loco jam*
citato pag. 217.

Irritantur & hoc casu potius spiritus, & excursus ad ex-
teriora spatia cerebri ac sensuum organa promovetur; utro-
que modo sulphure obstruente, ligante, blando, obtuso, nec
diffuente, ipsi meatus cerebri ultra modum reserantur, & ejus
substantia velut spongia exsucca dehiscens redditur, ut no-
ctes atque dies pateant pori, nec imbibentes, ut decet, parti-
culas ferofas spiritibus nullos objiciant obices. Ut verò hæc
œconomix animalis conditio somno ineundo inimica est, &
contra ea serum spissescens sulphure resoluto fœtum poros
occludens plus justo affectuum soporosorum autor existit;
ita etiam *essendi modus*, quo in pervigilio peccant tum lymphæ
tum spiritus animales, facile patet. Seu *quantitatem* insuffici-
entem spectemus, minorem sanè, quæ spiritibus ad tempus
naturaliter obruendis sufficiat, qui quandoque & copiâ ni-
miâ excedunt, & jugum hoc excutiunt; exemplo maniaco-
rum. Seu *qualitatem* calidam ac siccam cumprimis, per mo-
do dictas rationes inductam, quæ quidem veteribus maxi-
mè pro causâ laudata est; seu *motum* generationis & localem.
Spiritus enim, ob supra enumeratas causas, non amplius mo-
tus & quietis amant vicissitudinem, sed quaqua versum, è ce-
rebri medullio, in ejus corticosam substantiam, & totum
nervosum genus expanduntur, ubi jugiter reflexi functio-
num animalium quasi perpetuas causantur operationes,
unde verbis *Magnifici D.D. Schneideri libr. de morbis capitis 3. cap.*
11. vis animæ animadversiva se non potest ferre in animam,
vel ubi sese occulit, ac aliquamdiu delituit, nimis citò se rur-

75

sus exferit, & juxta *Willisium de animâ brutorum part. 2. Patbologica, pag. 194.* spiritus animales nimis efferi, ac velut æstro perciti sunt, qui spirituum animalium motus auctus, & agitatio vehementior, consentiente quoque *Sylvio libr. 1. de methodo medendi pag. 80. & praxeos libr. 2. pag. 468.* in producendis & fovendis vigiliis omnem absolvit paginam.

Quemadmodum ergò qualis lymphæ, tales spiritus; ita generantur tales modò in *parte affectâ ipsâ*, ob cerebri intemperiem calidam & siccam, vel frigidam & siccam, per jam dicta; modò *extra locum affectum*, sive in toto, sive in certâ & definitâ parte. Sic quando tota massa sanguinea motu peregrino gaudet, serum sanguini incoquitur quasi, & plus justo exhalat & dissipatur, prompti & individui comites ferè adstant vigiliæ, in febribus omnis generis, tum primariis, tum comitatis, & symptomaticis respectivè dictis. Sic & ubi stomachus munere demandato minus accuratè fungitur, & loco suavium exhalationum, acres excrementitios humores lacteis mandat venis, idem accidit, ut suo sensu quasi hîc prima rudimenta somni fabricæ jaciantur. Qualis enim chyli evaporatio, talis etiam hinc ferè lymphæ speranda est, unde somnum *ἐκ τῆς αἰθέρος ἀναθυμιάσεως* ex alimenti evaporatione deducit *Philosophus l. de somn. & vigil. c. 3.* Similes quoq; humores quandoque in hepate, liene, utero, pancreate, quæ singulæ magis vel minus serum dispensant, reliquisque partibus stagnantes, circulationis lege, qui fluxionis modus est, communicantur cum cerebro.

CAPUT IV.

De Causis mediatis remotioribus.

CUM non exiguam, in cumulandis vitiosis humoribus, vim obtineant dispositiones naturales, ideò non immeritò inter triplicem remotiorum causarum cohortem primas tenent NATURALES causæ. Has inter eminent

TEM-



TEMPERAMENTUM vel totius, vel partium principaliorum, potissimum cordis & cerebri, modo calidum & ficcum, biliosum, Martiale; modo frigidum & ficcum, melancholicum, Saturninum. Illud fervidos & agiles nimis spiritus suggerit, hoc fixiores, utrumque minus seroso blando vinculo ligabiles, sero partim minori & alkalino, partim majori quidem, sed acetoso magis constans. Alterutro hoc caractere spiritibus impresso variæ excitantur exorbitantiæ. Tale verò vel tractu temporis, ab aliis occasionalibus causis acquiritur, quod ascititium appellatur, vel à nativitate inhærens à parentibus communicatur, & innatum audit. Hinc videas utrâque temperie gaudentes parum dormire, & dolere sæpè noctes sine opere transigendas si non sibi, tamen aliis. Adeoque nec

DISPOSITIO HÆREDITARIA omni caret culpâ. Videmus enim mediante communiter ita dicto contagio spirituoso propagari morbos, qui pervigilio ceu individuo comite stipati sunt. Hos inter affectio hypochondriaca & mania cum melancholiâ primas facile tenent, qui affectus inter alia symptomata, una cum molestissimis vigiliis conjuncti totas sæpè infestant familias.

ÆTAS juvenilis minus obnoxia est huic affectui sibi relicto, multis enim gaudet particulis dulcibus roscidis, spiritibusque non adeò dephlegmatis, & copioso sero blando dilutis. Symptomaticæ tamen vigiliæ, quæ cum aliis affectibus ingruunt, hanc quoque ætatem sæpius satis miserè exagitant; unde & 3. aph. 24. ἀγρυπνία, ab Hippocrate huc referuntur. Sic tempore dentitionis, ante variolarum & morbiliorum prurptionem, ubi vermium semina fovent pueri, & ventris tormina persentiscunt, in febribus item continuis, huic ætati magis accommodis, tantum non semper, & quidem satis periculosè iis laborant. Quo magis verò ad senectutē inclinat ætas, eo magis ad hunc affectum sibi relicto est proclivis. Hinc senibus vigiliæ quasi solennes sunt 3. aphor. 31. ipsosque non raro usque ad extremum halitum excruciant. Unde & Horatius

1111

rius: pellente lascivos amores canitie, facilemque somnum. In illis enim viscidæ particulæ oleosæ balsamicæ sensim deficiunt, & serosæ dulces vappescentes in acrimoniam falsam abeunt, cerebrum ad hecticam, & totum corpus ad marasmodum inclinat.

Et licet defluxiones, tussis, temperamentum frigidius, & alia, primâ fronte contrarium astruere videantur; nihilominus plus non evincunt, quam quod excrementitia humiditas in illis abundet; naturalis verò defectus ex rugis, quæ senum arant corpora, scabie siccâ & aliis peculiaribus affectibus, qui in hanc ætatem cadunt, innotescit facile. Hinc etiam *Langius epistolar. medicinalium libr. 1. epist. 26. pag. 123. & seqq.* vigilias seniles à defectu humiditatis naturalis & totius corporis constitutione siccâ, ut & cerebri & sanguinis phlegmate dulci in falsum humorem mutato deducit.

SEXUS *Fœmineus* ob copiosiores particulas serosas, quibus dotatus est, salinas acres & sulphureas feroces promptius diluentes, minus expositus est huic malo. Unde & in ipsis febribus continuis non tam periculosè, ut mares, decumbunt fœminæ. Si quæ tamen animi affectibus plus indulgent, ratione horum magis obnoxia esse possunt per vigilio.

NON NATURALES RES, quibusdam, quod evitari non possint, necessariæ dictæ, ad vigilias producendas innumeris ferè modis concurrunt. Primum dignitate obtinet locum.

AER calidus & siccus, qui vel ob anni tempus æstivum, vel ob regionis situm, & poli elevationem inductus, copiosis particulis sulphureis & mercurialibus salinis ope siderum è terrâ elevatis, scatet, quarum non minor copia per insensibilem transpirationem, quam ore intra corpus admissa, acres humores in corpore cumulat, lymphamque blandam dispergit. Quocirca ad vigilias inducendas mirum quantum confert; cum è contrario, *elogio 1. aphor. 15.* hyeme & vere somnus sit longissimus. Hinc Meridionales populi raro totas noctes

noctes somno consumunt, cum contra, respectu horum, boreali climate degentes magis somnolenti audiant. Frigidus verò aër, quatenus occludendo poros transpirationem inhibet, & humidus paludosus, quatenus humores in corpore ad putredinem disponit, & febres aliosque morbos excitat, per accidens huc aliquid conferre possunt. Referunt quidam, huc quoque non immeritò aërem luminosum, qui vel ob consensum, quem cum spiritibus habet, eosdem facile ad exteriora corporis prolicat; vel ob sæpius sibi unitum calorem rarefacientem, aqueas particulas, ad somnum inducendum aptas, dispergendo imminuit; vel per objecta, quæ mediante illo visui offeruntur, spiritus in continuo motu servat.

ASTRORUM INFLUXUS, quatenus cæli & aëris constitutionem moderatur, remotè quoque concurrat. Præprimis leonis & grave canis sidus, ut & maleficus major & minor ♃, ac ♁, ♃rium, Namque infaustis radiis affligentes accusantur, imprimis si benignorum siderum aspectu non mitigentur.

CIBUS & POTUS sicuti justâ proportionem ingesti instabile fugacis animæ restaurant vinculum, & suaves *αιαθυμιόσφς* suggerunt, quibus delibui primum sensorium, & demulceri spiritus animales queant; ita si vel in excessu, vel in defectu peccent, vigiliis haud levem parant aditum. Nimia enim ciborum quantitas stomachi calorem ejusque fermentum obruit, cui oneri ferundo impar ventriculus minus accurate assumptorum centra solvit, unde plurimæ dulces balsamicæ chyli particule vel non evolvuntur, & ad crassa intestina deferuntur, vel cum peregrinis acidis segregandis unitæ intra vasa admittuntur. Unde licet non in præsens statim vigiliæ, sequentibus tamen temporibus enascuntur, durantem *μόλυσσιν* excipientes. Longè magis verò denegato corpori demenso suo præbio ordinario, indictâq; abstinentiâ, vigiliæ promoventur, exacerbatis humoribus residuis, neque enim sola lassitudo æquè somnum advocat, nisi accessio substantifici nectaris fiat. Hinc maniaci furores, inediâ magis

C

accen.

756.
accenduntur, & multi solâ hâc vigilias satis pertinaces sibi accersisse leguntur, quatenus juxta *aphor. 59. libr. 7.* corpora hoc modo exsiccantur, & suavis lymphæ proventus inhibetur.

Imprimis perniciosissima est nimia à potu abstinencia, quæ ciborum digestionem non minus inhibet; quam humores in corpore accendit. Ex hoc inter alia elucet, quam malè consulant adstantes febribus continuis laborantibus, qui ipsis vel omni potu interdiciunt, vel eundem poscentibus nimis parcâ manu administrant, cum indicantia contrarium potius suadeant.

Qualitate quoque peccantes cibi *δύσπεπτοι & δύσχυμοι*, qui exhalationes suaves nullas emittunt, non possunt non huic malo quoque ansam dare. Tales verò sunt omnes cibi nimis calidi, sicci, acres, saliti, acidi, aromata sæpiùs assumpta, crusta panis nimis, vel sæpiùs cocta; fungi item, melones & reliqua terræ ulcera. Hæc enim putridas exhalationes ad caput emittunt, & similes febres inducunt. Quo & pertinet potus *Υι* & vini vinosi copiosus; Unde & ex vino *Galenus l. 2. de loc. affect. cap. 9.* in puero notavit vigilias. Neque verò mirandum est ea ipsa sulphurea & vaporosa, quæ alioquin somnum cient, vigilias inducere posse, quatenus serum exacerbant, nec illo malè habente, vel deficiente, ac indisposito spiritibus frena injicere norunt, sed contrarium potius præstant. Nicotianæ item fumus copiosus, & à repletione stomachi haustus multum quoque confert, cum enim generosum sit apophlegmatizans, nutritium serum non potest non in notabili copiâ evacuare, & siccam cerebri intemperiem producere, acriori reddito reliquo. Et licet in humidioribus moderatè sumptus narcoticam suam vim non rarò exerat; nihilominus, ratione subjecti recipientis, hanc agendi vim quandoque amittit penitus. Medicamenta quoque suum *ἰσχυρὰ καὶ ψυχρὰ* addunt. Inter hæc primas tenent omnia ex castoreo parata, minus tamen in formâ humidâ, quàm siccâ; item herba thee & coffe, ex quarum decocto copiosè hausto
quen-

quendam ex vitio contrario vigilias incurrisse me audire memini, vid. *Simon Pauli quadripartit. botanic. class. 4. pag. 562.* Huc etiam pertinet camphora, confectio alkermes completa copiosè sumpta, & anacardina, sapientum aliàs dicta, quæ & stultorum audit, quia mediantibus vigiliis, quas inducit, sanæ mentis homines quandoque stultos reddit. vid. *Hoffm. l. 2. de M. O. c. 162.* Similem effectum edunt plurima medicamenta calida memoriæ communiter dicata, & Θ ia volatilia alkalina in nimiâ dosi, vel sæpius assumpta. Illa enim singula spirituum mobilitatem augent, cerebri poros nimis aperiunt, serumque absumendo ac dispergendo siccam cerebro inducunt intemperiem; quædam verò, ut moschata sæpè etiam turbant humores, fermentationem inducunt, & quietem corpori suffurantur. Id verò in hypochondriacis ac scorbuticis, acriori sero præditis, sæpè & ordinariè quasi contingere à *D. D. Præfide* non semel audivisse me memini, quod & à volatiliis aliorum, spiritus cochleariæ, & cum his paratorum, usu idem se observasse asserit. Nec indictus transeat nimius pulveris cyprii usus, qui exsiccandi vi pollet, & vel solo hoc nomine somno inimicus est. Purgantia quoque *μοχθηρά* & *δραστικά*, in nimiâ dosi propinata, quatenus acrimoniâ suâ salino-sulphuræâ humores nimium agitât, serumque blandum in nimiâ quantitate eliminant, non rarò vigilias satis pertinaces ipsasque febres inducunt. Huc etiam faciunt balnea sicca, Laconica dicta, & sudationes nimis diu protractæ, quæ, ob sæpius dictos effectus, quos edunt, omni jure ad causarum classem pertinent.

VIGILIÆ ex industriâ susceptæ, ut lucubrationes nocturnæ, suam quoque conferunt symbolam. Illæ enim spiritus animales ad cerebrum copiosè revocando, in causâ sunt, ut ventriculus his, in chylicationis opere, destituatur, non enim vim suam habet ventriculus, verbis *Barclaji*, evocato ad laborantis cerebri subsidium igne. Hoc labascente sensim, ultrò humores magis atque magis acescunt, absumentur, & cerebri quasi hectica inducitur. His sane indulgentes corpo-

rum suorum robora inquietâ cogitatione nocturnâque vigiliâ minervant, ut cum *Celso* loquamur, unde spiritibus excussa quies non æquè redit, inducto malo habitu. Videas hinc continuatâ hâc consuetudine, appellentibus v. g. horis post mediam noctem, quibus surgere consueverant, somnum omnem evanescere, & proscriptû quasi esse. Hinc librorum heuones, qui in mediam noctem studia protrahunt, potissimum infestantur hoc malo. Assueti enim hoc modo labori spiritus, & per multam noctem excubare edocti, postea ipsorum ingratiis, & nequicquam contranitentibus ægris, antea edoctum motum constanter repetunt.

MOTUS immoderatus & intempestivus, nimis cito post cibum sumptum institutus coctionem vitiat, quatenus natus calor, qui tunc circa ventriculum colligi debebat, ad exteriora rapitur, & chylus crudus in vasa præcipitatur lactea. Serum quoque blandum absomit ac dispergit & totum corpus non rarò exsuccum redit.

QUIES per accidens quandoque etiam concurrit, quatenus stagnantes humores, ut aquæ capiunt vitium, & putridas exhalationes emittunt, quæ Mæ Sæ & Quum motum turbant.

EXCRETA & RETENTA etiam merentur, ut in causerum veniant numerum. Sic alvi profluvia, & us immoderata, & incontinentia, sudores nimii, roscidum serum è corpore eliminant & totum corpus contabescere faciunt. Nihilominus moderatus & is usus intermissus, consuetæ evacuationes suppressæ, & transpiratio prohibita, quatenus vitiosos spargunt halitus, & præternaturalem fermentationem humorum inducunt, non rarò æqualibus concurrunt viribus.

AFFECTUS ANIMI non minoris sunt æstimandi, spiritus enim extra seriem & meatus solitos propellunt, & in perpetuo motu servant. Unde ubi curis & profundis cogitationibus distrahitur animus, ibi necessario succedunt vigiliæ. Hinc *Virgilius 4. Æneid.* nec placidam membris dat cura quietem.

tem. Huc quoque pertinet ira, mœror, superbia, invidia, studium indefessum, æmulatio & similia. Sic *Themistocles* infomnis in publico ambulavit, *Miltiadis* tropæis è somno suscitatus. vid. *Cicero Tusc. quest. l. 3. p. m. 236.* Sic *Langius epist. Medicin. p. 766.* Consiliarii cujusdam meminit, qui in vigilias incidit ob mœrorem ex obitu filii susceptum. Similem effectum perditus & amens amor inducit, qui nec corpori, nec animo quietem concedit, spiritusque inquietos & corpus tabidum reddit. Ob hanc causam forsitan poëta, *Tiryi* amatoris jecoris continuo renascentes fibras noctes atque dies à vulturibus discerpi fingunt; & *Dido* *Virgilio 6. Æneid.* somno parco & inquieto usa, multisque turbulentis insomniis agitata dicitur. vid. etiam *Homerus Odysf. λ.* & *Seneca libr. de providentiâ pag. 705.* idem de *Mecenate* refert.

RES PRÆTERNATURALES agmen causarum quidem claudunt; plurimis tamen antecedentibus primatum reddunt dubium. Parili enim vi, si non majori ad vigilias inducendas concurrunt. Tales verò sunt *δυσχεροία* viscerum, & vasorum illa perreptantium obstructions, intemperies frigida stomachi, ut & hepatis biliosa, lienis item status sanguinem modo nimis rarefaciens, modo nimis concentrans, hypochondriaci que affectus & scorbuti semina, quæ omnia chylicationem vitiatam & Mam Sam acescentem denotant. Hinc *Willisus de animâ brutorum cap. 5. de pervigilio pag. 197.* & *de scorbuto pag. 170.* utriusque affectus comitem esse dicit, & priori loco, hypochondriaci pertinacibus vigiliis divexati, quæ cum ructibus interpolabantur, meminit. Sic & in febribus continuis quibuscunque, tam malignis, quam benignis, ut variolis, morbillis, purpurâ, petechiis, ipsâque peste & harum crisi tantum non semper simul urgent vigiliæ, ob fermentationem præternaturalem, fibras sanguinis extra ordinem motas, & coctionem vitiatam, lymphæque defectum. Non minoribus viribus ad ægros jugulandos concurrunt in maniâ, melancholia simplici & hypochondriacâ, ob prædominium principii salini, & humorum

acrimoniam. Hinc *Sennertus libr. 3. prax. p. 518.* inter melancholiæ hypochondriacæ symptomata refert vigilias. Huc quoque faciunt dysenteria & diarrhœa, quæ etiam ad excreta pertinent, quatenus nimium absumunt particulas serofas diluentes. Coniungunt se quoque cum vigiliis, easque inducunt asthma, hæctica, coma vigil, hydrops, passio hysterica, lumbrici, & similes affectus, qui omnes vel acrimoniam in humores imbuunt, spiritusque in motum cogunt, & nervos vellicant; vel serum dulce depopulantur. Pedum item refrigeratio, quatenus seri motum inhibet, & lympham quasi coagulat, similem inducit effectum. Merito quoque vigiliarum causis annumeranda veniunt continua eaque excellentia sensus auditus, & tactus vehementiora objecta, in quorum occursum, ubi in proprios sensus recipiuntur, spiritus circa nervorum extremitates excubantes celerius agitantur, qui motus postea ulterius protenditur, & ad ipsos in communi sensorio latitantes spiritus defertur, qui veluti dato signo ad arma properant, continuasque agunt excubias. Hinc pertinacissimas vigilias producunt omnes affectus dolorosi, tam in extremitatibus corporis hærentes, quam in corpore latitantes, quales sunt cardialgia, vulnera nervorum, inflammationes, erysipelas, pleuritis, arthritis, podagra, calculus, chiragra, phrenitis, lues fea, & his similes. Non minus continua visus objecta spiritus in perpetuo motu servant, & hoc modo vigilias inducunt; in majori enim copia spiritus per nervos opticos feruntur, qui ideò non tam facile sedantur, & facilius excitantur. Hinc ubi occludi nequeunt palpebræ, vel præscissæ sunt, ibi in perpetuam vigiliam suspenduntur lumina. Unde Poëta somnum ænigmaticè ita introducit loquentem:

Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

Et *M. Regulum* rescissis palpebris vigilando necaverunt *Carthaginenses*. Vid. *Cic. in Pisonem*. Plures affectus alii, qui vigilias secum trahunt, ex propriis fontibus peti possunt.

CA-

CAPUT V.

De Differentiis.

DIFFERENTIAS, post causarum explicationem, breviter ut delineemus, operæ ducimus pretium. Desumuntur verò illæ à *Genere*, cujus ratione aliud pervigilium est *continuum*, pertinacissimum, quod ferè nullam, aut vix notabilem corpori quietem admittit. Tale in *Mecenate Plinius nat. hist. lib. 7. cap. 51.* notavit, quem per triennium ante obitum, ne per horæ momentum, somnum vidisse dicit. Similes vigiliæ in gravioribus affectibus concurrunt. Aliud pervigilium est *mitius*, cum somno pauco, eo tamen insufficienti, pro lapsarum virium restauratione, quale in iis occurrit, qui tantum ad duas vel tres horas dormire possunt, & hoc potissimum fit in senibus. Aliud est *periodicum*, quod quasi paroxysmis absolvitur, quale *Willisus* in hypochondriaco vidit.

Ratione subjecti aliud est *essentiale*, quod magis à spirituum animalium & cerebri dispositione præternaturali dependet, aliud fit *per consensum*, quando magis alius cujusdam partis, ut *Mæ Sex* in febribus, ventriculi in hypochondriacis & aliis, uteri in hysteriis, contingit vitio.

Ratione causarum aliud est à defectu serî rorulenti, aliud à spirituum animalium motu nimio, & copiâ, aliud à cerebri intemperie calidâ & siccâ, aliud juvenum, aliud senum. Verbo, tot hîc se fiunt differentiæ, quot causarum genera in superioribus fuerunt explicata.

Ratione accidentium aliud est *primarium*, quod solum affligit, quale est senum; aliud *secundarium*, quod aliis gravioribus morbis, sub rerum præternaturalium titulo enumeratis, stipatum ingruit. Hæ verò differentiæ tantum non omnes notatu sunt quam dignissimæ; in praxi enim sæpè planè diversis armis expugnandæ veniunt.

CA.

CAPUT VI.

De signis Diagnosticiis.

A Cognitione morbi magnam curationis partem dependere unanimis Practicorum est consensus. Haud igitur gravabimur, prius, quam praxin accedamus, nostri affectus genium ex DIAGNOSTICIS eruere SIGNIS. Prolixâ tamen horum enumeratione in præfenti affectu vix opus videtur, cum ipse sese ultro manifestet, & ægri quid patiantur satis circumspectè exponant, pauca igitur de his sufficiant. Et quidem *imminentis* pervigilii signa esse possunt, si vel plures superius enumeratæ causæ præcedant, vel tales, quæ pervigilio ceu individuo comite utuntur, ut mania, febris continua, dolores acuti, & similes. *Præfentis* certiora suggerit æger, nisi mens simul laborat, vel adstantes, vel ipse haurit Medicus 1. ex *Essentialiter inherentibus*, quæ sunt, continuum, sine intermissione, operationum animalium, vel omnium vel quarundam, exercitium. 2. Ex *Essentialiter consequentibus*, quæ magis communia dant signa, ibique varia symptomatum syndrome se conspiciendam exhibet; & quidem actionum læsarum in *facultate animali*, quæ ratione causarum maximè differunt. Sic vigiliæ à febribus, maniâ, inflammationibus, aliisque affectibus præternaturalibus cum horum ingruunt symptomatibus, ex pathologicis petendis. Ubi verò solitarium existit, ibi quandoq; omnium functionum spontanearum imbecillitas & totius corporis languor & lassitudo, ob spirituum jacturam nimiam sequitur. Hæc excipit sensuum internorum & externorum defectus, visus imprimis hebetudo & memoriæ lapsus, oculorum item pruritus, ut eos sæpè perfricare cogantur; frequentius verò torvitas & ferocia, indicio plus justo motorum & turbatorum spirituum manifesto; palpebras vix attollunt ægri, ipsisque sunt instabiles, dolor capitis quandoque conjungitur, & ventriculi ro-siones, item vertigo, febres, deliria, raucedo, catarrhi, tussis, grave-

gravedo, interdum etiam surdastri fiunt. Nonnunquam tamen nullum, vel pauca horum signorum urgent, ægrique benè ferunt malum, & vix somno carere videntur, cum nec spiritus æquè exhauriantur, nec torpidi fiant. Communissima verò conjuncta est inquietudo. Quibus enim difficilis somnus est, ut cum *Senecá* loquamur, versant se & hoc atq; illo modo componunt, ut quietem lassitudine inveniant; versant se & mutant nondum fessum latus, & alio atque alio positu ventilantur. *In facultate vitali*, ubi præternaturalis calor conjungitur, pulsus est magnus, & spiritus agitati etiam sanguinis celeriores motum cient. In senibus verò parvus, obscurus, debilis est. In his enim non tam copiosus est spirituum motus, quam continuus, illorumq; quantitas vix *Mam Sam* una turbare sustinet. *In facultate naturali* ventriculus in appetentiâ, potissimum solidorum, laborat, ejusque calor labascit sensim; ciborum digestio vel imminuta est, vel abolita. Spiritus enim stomachi fibras actuantes, & coctioni intervenientes, ubi cerebro ejusque affectibus morem gerere coguntur, à proprio avocantur opere, & cum distracti minoris sint efficaciam, indigestum in ventriculo relinquunt cibum. Hinc est, quod quidam ferè tantum ciborum concoctionem in somno fieri statuunt. In maniacorum verò vigiliis potius contrarium occurrit, & appetitus, si non augetur, constanter tamen durat, ob fermentum ventriculi acidius. Liquidorum appetentia rarius aboletur, sæpius sitis urget intensissimè. Ut plurimum colliquantur carnes totumque corpus exsiccat, nam proverbium illud est veriverbium: Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes. Rarius corpus cruditatibus repletur, & ad cachexiam inclinat.

In Excretis urina modo est tenuis, cruda, flammea, ubi febres conjunctæ, modo pauca, ubi hydrops, modo immutata, ut ideò inde facilius affectus qualitas, quam quidditas pateat. *In qualitatibus mutatis* oculi apparent squalidi, concavi, rubicundi, torvi, illachrymantur, epiphora illos defœdat. Facies discolor est, si febris quidem absit, non secus, ac ubi

D

im-

immodicæ evacuationes præcesserunt. Quandoque narium exulcerantur pinnae.

SUBJECTI essentialiter, vel per sympathiam affecti, & CAUSARUM signa ex antecedentibus rationalem medicum non possunt fugere.

CAPUT VII.

De Signis Prognosticis.

CUM non minus jucunda quam utilis sit prognosis, ideo in ejus pertractatione non omnem operam perdidisse videbor. SALUS & MORS in nostro affectu prædici possunt ratione *Generis* seu formæ; juxta hanc non contemnendum malum est pervigilium. Virium enim est edacissimum, illasque non minus, quam sensibiles evacuationes, dejicit, nullumque, vel saltim insufficiens, pro harum recollectione temporis relinquit spatium. Plus etiam sæpius urget, quam acutissimi, & gravissimi affectus conjuncti, unde non raro ab ordinariâ methodo avocat medicum ad sui ablationem, vel, ubi minus ejus habetur ratio, præ affectu principali ægrum jugulat. Magnus hinc, & periculosus est affectus. Magnus est, ob affectæ partis præstantiam, spirituum officinam, & microcosmi cancellariam. Nec dissentientem in hoc habemus *Hippocratem*, qui *libr. 2. aphor. 3.* sequentia habet: ὕπνῳ, ἀγρυπνίῃ, ἀμφοτέρω τῷ μετέρι μάλιστα γνώμῃ κακόν. *Galenus*, in commentario ad hunc locum, consentiens malum & signum & causam esse dicit. Ratione enim hujus, sæpè convulsiones, deliria, febres & ipsam inducit mortem. Ratione illius, tantum non semper, ex ejus duratione, ingravescere morbum colligitur. Non tamen semper eundem servat gradum malum, sed quandoque mitius est, quandoque pertinacius. Sic minus periculosum est, quod cum somno non laborioso, licet parco, interpolatur, quam continuum, quod vel semper urget, vel interruptum cum labore & corporis concussionem conjunctum habet somnum. Minus quoque periculi

culi affert, quod magis simplex est pervigilium, sibi relictum, cum aliis gravioribus affectibus non combinatum, & quod illos non inducit. Nihilominus & illud semper senectutis gradum accelerat, ipsamque vitam corripit. Symptomatum verò pervigilium ut plurimum magis periculosum est, & comitantium affectuum genium exactè sequitur. Sic in febris continuis maximam partem harum pravitate æmulatur, & quo major est malignitas, vel gravius febrile urget incendium, eo est pertinacius; interdum tamen unâ causæ vice fungitur. Instante verò harum crisi, omni caret periculo, si quidem illa, quem intendit, perfectum consequatur finem. Parili modo periculosissimum est pervigilium, quod cum gravioribus affectibus dolorosis ingruit, imprimis nervosarum partium, illud enim sæpissimè, potissimum in juvenibus, in febres, deliria, & convulsiones terminatur, & frequenter est letiferum, juxta *libr. 7. apb. 18. Ἰπὶ ἀγρυπνίᾳ ἀσπυρὸς, ἢ ὠδὸφροσύνη, κακόν.* Malum quoque esse dicit *B. Sennertus, in praxi loco supra citato*, si tussis superveniat, quia siccitatem respirationis organis communicari denotat. Adde quod ipsa tussis spasmodes quid habeat, in pueris tamen, sicut & reliquæ convulsiones, minus periculum præfagit. Pejus etiam est illud, quod oculos rubicundos & torvos exhibet, & contra; item, si febris superveniat pervigilio, quàm si hoc illam sequatur. Chronicis verò affectibus, ut mania, hydropi, hecticæ, melancholiæ combinatum, rebelle quidem satis est, & difficilem ominatur liberationem, non tamen æquè letale. *Subjecti* ratione periculosius est illud, quod à cerebro & spiritibus per essentiam, ut & totâ Mâ Sâ affectâ oritur; minus periculosum contra, quod ab affectâ quadam parte ignobiliori, cerebrum tantum in consensum trahente dependet. Sic & longè gravius est & periculosius pervigilium, quod ætati, temperamento & aliis circumstantiis magis improporcionatum est. Hinc v. g. vigiliæ multò deteriores sunt & periculosiores in pueris & juvenibus, quàm senibus, unde proverbium Gallorum citat *Varandæus Tract. de prognos. med. cap. 4. dist. 2. p. 55.*

D 2

leu-



708

(28)

*Jeune qui veille, & vieil qui dort,
sont tous deux proches de la mort.*

h. e. dum juvenis vigilat, & senex dormit, uterque morti appropinquat. *Causarum* respectu non minus dubius est eventus. Nam juxta *B. Sennertum libr. 1. praxeos part. 2. cap. 1. pag. 230. quo major harum vis est, à quibus vigilia excitantur, eo etiam periculosiores sunt vigiliae: & quo facilius cause tolli possunt, eo etiam minus periculi conjunctum habent, & contra.* Atque ideò à causâ internâ periculosiores sunt vigiliae, quam ab externâ & evidente. Ab exaltatis particulis sulphureis quod oritur, magis calamitosum est, quam quod à salinis mercurialibus.

LONGITUDO & BREVITAS respectu causarum maxime variat. Licet enim alias, quod alternâ requie caret, non sit durable, & ob virium fugax robur, multi breve constituent tempus, quo sive ad salutem, sive ad mortem terminetur pervigilium; nihilominus causarum diversitas angustos hos cancellos sæpius amat transgredi. Hinc non paucos satis diu, sine vitæ discrimine, vigilasse annotavit *Schenckius observat. med. libr. 1. obs. 125. p. 111.* ubi & de nobili quâdam matronâ refert, quod illa per 35. annos infomnis, alioquin sana permanferit. Simile exemplum citat *Sennertus in praxi loco supra citato*, de quodam, qui per decennium non vidit somnum, & de *Maccenate* antea dictum est, quod per triennium vigilaverit. In hunc censum veniunt maniacorum, melancholicorum & senum vigiliae, in quibus magis diuturnitas metuenda est, quam mors. Hi enim sicuti sæpius sine notabili virium jactura vigilant; ita à multis relinquuntur prognostico. Causam durationis puto esse spiritus animales à naturâ alkalina volatili, in mercurialem, vel acidam fixam mutatos; qui licet satis existant mobiles, non tamen æquè dissipabiles sunt, non secus ac vis fatis activa vis in aperto vase diu integra servari potest, ubi contra sulphurei cujusdam spiritus particulæ citius avolant. Hinc etiam non tam cito istiusmodi ægri defatigantur, sed admodum diu sine refectione perstât vegeti. Contra quæ à sulphurearum particularum motu nimio earumq; accen-

(29)

267

accensione dependent vigiliæ, quales in febribus continuis
occurrunt, minus sunt durabiles, citiusque terminantur.
Hinc etiam juvenum vigiliæ citius desinunt, quia illorum
spiritus volatiliores facilius dissipantur, & sine restauratione
minus diu persistere possunt; Ideoque juvenes citius à vigi-
liis lassari, cumque majori virium lapsu excubare cernimus,
cum contra ea senes ut plurimum inde non tam cito langue-
scant, qui ideo ad excubias magis apti sunt.

MODUS EVENTUS tantum non semper anceps est, & mille
modis variat. Terminatur enim modò lento gradu, ut ubi
magis sibi relictum urget pervigilium, in senibus, & quod
cum morbis chronicis conjungitur; modo desubitò, ut ma-
gis in juvenibus, & in morbis acutis, & quidem vel ad salu-
tem, vel ad mortem. *Ad salutem* aut per solutionem, ubi na-
tura medicamentorum adminiculo suffulta humorum & spi-
rituum acrimoniam sensim corrigit, omniaque ad naturalem
statum reducit; aut criticum in morem, quod tamen in no-
stris regionibus paulo rarius est, ubi materia peccans, quæ
tantas turbas dedit, extra microcosmi pœria propellitur,
tum per hæmorrhoides, ut in maniacorum & melancholico-
rum vigiliis, tum alio acutis accommodo modo. *Ad mortem*
comitatur ægros, si minus accurata ejus habetur ratio, & ubi
causa materialis jam jam altiores in corpore radices egit, ut
& si per *μετέπλωσιν* in graviolem affectum commutatur, ubi
febres, deliria & convulsiones superingruunt.

CAPUT IIX. De Methodo Medendi ex Chirurgiâ.

CUM plus adjumenti herbarum, quam verborum vis sem-
per spondeat ægris; ideo eo allaborandum est, ut magis
fideliter curemus, quam ut subtiliter disputemus. Quocirca
ad MEDENDI METHODUM, & tricorporis regni materiam præ-
sidiorum, quibus omnis nititur curatio, tandem converti-
mur.

mur. Methodus medendi ex tribus indicationibus constat, curatoria, præservatoria & vitali. CURATORIA indicatio vigiliis nimias, exceptis criticis, ocyus compescendas, spirituum copiosorum motum continuum quovis modo imminuendum; & hoc modo somnum conciliandum suadet. Neque enim hic otiosum spectatorem agere decet Medicum, sed maturanda sunt consilia; alias ex illis, ceu ex equo Trojano, symptomatum sæpè profilit ilias. Commodissimè voti damnamur, si secundum alteram methodi indicationem, quæ PRÆSERVATORIA est, causarum remotiorum habeatur ratio, ut & illæ, quantum fieri potest, eradicentur. Fit hoc, si spiritus animales vel qualitate, vel quantitate peccantes, vel imminuantur, vel acriores, & dephlegmati nimis, diluantur & alterentur, & cerebri intemperies corrigatur. Quantitas per evacuationia varia educitur; qualitas alterantibus & confortantibus ad naturalem statum reducitur. Cerebri intemperies sicca humectantibus suavibus corrigitur. Externa quoque sensus & spiritus excitantia removenda sunt, & animus nimis inquietus à curis avocandus. Concurrentium verò affectuum, capite de causis, sub rerum præternaturalium titulo enumeratorum, curationem specialem pertractare & instituti ratio, & paginae angustia prohibet. Petenda illa est ex propriis fontibus, ne, loco affectus simplicis, confusum chaos, vel totam penè materiam medicam exhibere cogamur. Affirmare tamen nullus dubito, ablatis vigiliis, non paucos prænominatorum affectuum ultrò terga duros. Per somnum enim, plurimi sanguinis & spirituum inordinati motus componuntur, qui sicuti à vigiliis non rarò ortum trahunt; ita somno sæpissimè loco remedii utuntur. Hinc in continuis vigiliis qui sustulit, ut & in maniâ, indubiè ipsum morbum abstulit. VITALIS indicatio vires subjecti, causæ, totiusq; corporis respicit, illasque per confortantia & analeptica restaurare, vel conservare satagit. Interdum tamen, ut in maniacorum vigiliis, nimium harum robur studio refringere consultum est.

MATERIA PRÆSIDIORUM, quâ indicationibus his satisfacere possumus, ex usitatis fontibus, chirurgiâ, pharmaciâ, & diætâ desumitur.

EX CHIRURGIA quæ peti possunt auxilia sicuti varia sunt; ita inter illa primas tenet V. S. quæ an vigiliis accommodata sit, in diversas abeunt sententias autores. *Sennertus libr. 1. præxeos pag. 231.* V. S. non per se hîc nullum esse locum asserit, cum Ma Sea per se non inducat vigilias. Si verò interdum, ubi vigilix urgent, V. S. requireretur, id non ob vigilias fieri, sed ob adjunctum alium affectum. In hujus sententiæ subsidium consentientes allegat *Benedict. Victor. Faventinum & Forestum. Contra Willisius de animâ brutorum cap. 5. pag. 196.* eandem in vigiliis interdum convenire, & ubi blanditiis spiritus compe-
sci non possunt, hâc quasi vinculis & verberibus in sedationem eosdem cogi statuit. Hoc autorum dissidium in aurem nobis infusurrare videtur, non in quibusvis vigiliis Venæ sectionem esse concedendam. Quocirca licet vigilix primario V. S. non indicent; illarum tamen causæ eandem quandoque expetere videntur, ideò juxta harum diversitatem, illam modo admittendam, modo intermittendam esse judicamus. Hinc in vigiliis à particularum sulphurearum effervescentiâ & Mæ Seæ præternaturali motu, quod in vigiliis febrium continuarum accidit; ut & ubi spiritus quantitate simul peccant, quod in maniacis fit, Venæ sectionem reprobare non possumus; item in aliis, ubi serum non planè deficit, viriumque robur, quarum ratio maximi semper hîc habenda est, & ætas contrarium non suadeat, quo & collimat pulsus magnus, plethoræ præsentia, diætâ prægressa, & consuetæ evacuationes suppressæ. Hoc enim modo spirituum copiæ nimix imminuuntur, & reliqui ab infarctibus humorum expediuntur, simulque spatia, liberæ ipsorum expansioni dicata, dilatantur. Sero verò novo & meliori illapsuro paratur aditus, sanguinisque retardatur circulus. Hinc non raro post ejus usum somnolentia urget, cui etiam statim indulgeri potest, si modo adstantes sic ægroti curam gerant, ut ne deligatum
vas

vas rumpatur denuo. Contra ubi salinum principium, sine plethoræ præsentia, cum pulsu parvo, viribusque exhaustis, malum introduxit, & omnes sulphuræ volatiles particulae subjugatae sunt, serumque penitus incoctum, quod in senum vigiliis sibi relictis, & febribus malignissimis non raro occurrit, ibi Venæ sectionem minus convenire putamus. Tunc enim, ob balsamum vitæ jam dum deperditum, venæ sectio ægros potius somni germano, morti, quam somno tradit. *Tempus* conjunctorum affectuum genius determinat, sic ubi acuti morbi combinantur, post quartum diem non facile, vel saltem in vasis minoribus celebratur. Contra ubi chronici affectus simul urgent, ibi post legitimum purgantium usum adhibetur rectius. Alias enim in extremioribus partibus stagnantes humores vitiosi promptius ad interiora rapiuntur. Ubi verò consueta sanguinis evacuatio suppressa conjungitur, ibi quoque à venæ sectione curationis sumi potest principium. In rebelli malo, ut quandoq; in febribus, & ut plurimum in mania, præsentibus indicationibus, etiam repeti potest ejus usus; sic tamen, ut secundâ vice magis minora eligantur vasa, nisi malum incrementa sumat. *Quantitas* ex virium præsentium & futurarum conditione, ex pulsu, temperamento, regione, & morbi vehementia mensuranda, ut & ex emissi sanguinis consistentia & colore. Sic quo magis rubicundus color, qui plerumque in sanguine sero orbatò conspicitur, eo majori cautione opus est, eoque parcius administratur, & contra. Præstat enim bis tutò parcè venæ sectione uti, quam semel periculosè in eam debacchari. *Locus*, si citra respectum affectus conjuncti consideranda veniunt vigiliae, vel, uti non raro fit, ex ordinaria viâ urgentes avocant Medicum ad sui ablationem, possunt esse venæ sublinguales, raninæ dictæ, & frontis venæ. Omnium verò convenientissima est saphæna in talo secta, quæ peccantem materiam à capite revellit, pluribusque aliis indicationibus satisfacit, & in acutis ac chronicis accommodata est. Ubi verò aliorum affectuum conjunctorum simul habenda est ratio, ibi

ibi etiam majora vasa, præfente indicatione, aperiri possunt. Arteriotomiam quandoque etiam proficuum notarunt practici, potissimum in maniacorum vigiliis. Hodie tamen, sicuti ob multa conjuncta pericula ejus usus ferè exolevit; ita eandem vix alibi, nisi in prænominate affectu cum vigiliis combinato, usurpandam censeo.

CUCURBITULÆ minus commodè in vigiliis venæ sectioni substituuntur, nisi forsan ubi alia indicantia concurrunt, ut ubi cardialgicus dolor urget, quem etiam cucurbitula ventosa sustulisse dicitur. Sic & in melancholicorum vigiliis cum aliis quandoque locum habent; à solis verò iis parum sperandum est solaminis.

HÆMORRHOIDUM clausarum & tumentium apertio per hirudines ritè applicatas hîc non est de nihilo. Evacuatur enim per hanc viam particulæ salinæ fixiores & fæcæ feculentæ, cum sulphureis adustis, si non in factu tales, mox tamen futuræ, quæ superiora petere indociles sunt. Cautelæ tamen circa hanc operationem ab autoribus consignatæ non sunt negligendæ; cæcas item præstat non attingere. *Langius epist. medicin. pag. 911.* celebrem quendam medicum sanguisugas etiam ponè aures applicasse commemorat, quem, his remotis, gr. j. opii vulneribus felici cum successu imposuisse dicit.

VESICATORIA vix ulli ex chirurgiâ petito cedunt remedio, & ferè semper conveniunt. Ichorem enim biliosum excrementitium, & salinam acrimoniam eliminant, & seri stagnantis motum ad cerebrum restitunt. Applicari possunt pone aures, vel nuchæ, & bregmati. Hujus farinæ sunt, & ferè similem spondent effectum

FONTICULI & SETACEA legitimè applicata. Cavendum tamen circa illa, ne serum nutritium promiscuè cum excrementitio in nimia quantitate evacuetur, & ita ad totius siccitatem ansa detur. Hinc magis heroicæ istæ operationes chirurgicæ in illis vigiliis profunt, ubi non tam defectus seri, quam ejus acrimonia salina peccat.

E

PE-

772

6(34)8

PECTINATIONES capitis, & FRICTIONES lenes extremorum, imprimis pedum cum panno aspero, vel cum sale, aceto & aquâ rosarum calidè institutæ spem sæpè superant efficaciam. Humor enim acrimoniam ad corporis ambitum sollicitant, porosque, ut excerni queant, aperiunt, & ipsum demulcent archeum.

CAPUT IX.

Pharmaciam sistit.

LENIENTIA in pharmaciâ, primâ vice, juxta receptum ordinem, pertractare haud gravabimur; licet in praxi non semper ab his sumenda sint primordia. Quandoq; enim, non minus ob conjunctorum affectuum, quam ipsius maligni genium, hæc vel postponenda, vel penitus omittenda sunt. Sic ubi nimis urgent vigiliæ, ibi sæpè ὕπερβην πρῶτον faciendum, & statim ad alterantia specifica, ceu ad sacram anchoram, fugiendum est. Ubi verò lento gradu procedit malum, quale imprimis est sibi relictum, & cum chronicis affectibus combinatum, ibi lenientia præmittere maximè est necessarium. Hæc enim serum viscidum, seu pituitam salsam, in primis viis stagnantem, liquant, quæ verò corrigi nequeunt, una cum sulphureis adustis particulis blandè eliminant. Sint igitur potissimum phlegmagoga parcâ manu dispensata, quæ quidem movent serum stagnans, sed non promovent; non è corpore eliminant, sed tantum fluxile reddunt, ejusque motum ad caput restituunt. Talia sunt *MP. Pear. Schröder. de fumar. extr. rhabarb. phlegmagog. panchymagog. Croll. agar. troch. conserv. de fumar. pulp. passular. tamarind. pulv. laxat. veget. elect. lenit. rad. s. aperient. glycyrrh. polypod. rhab. fol. sene, elix. prop. antiscorb. sirup. ros. sol. fol. sene, de pomis, de cichor. c. rhabarb. ut & sequentia:*

*Rx. MP. de succin, Cme. aloët. D. D. Presid. a. 38.
pulv. polychrest. Rolfinc. gr. iij. Si cinam. ḡ. j. M. F.
L. a. pilulæ. S. Lindpillen auf 2. mahl.*

Rx. pulv.

℞. pulv. diasen. ℥j. cremor. ꝑri gr. v. magister. g. g. gr. j.
 ꝑi faenic. ḡ. j. M. F. pulvis. D. in chartâ, S. Exirpula
 ver auf 1. mahl.

Succedunt PRÆPARANTIA, quæ humores in toto corpore & partibus remotioribus stagnantes incidendo fluxiles reddunt, & ad exitum disponunt, insimulque aliquantulum corrigunt, qualia sunt *essent. fumar. compos. ꝑis liquid. Tinctura corallor. M. S. arcan. duplicat. Myns. crocus ꝑis aperit. c. ꝑibus, mater perlarum, ꝑus Glac. rad. belenii, cichor. china &c.* ut & sequentia:

℞. hepat. rubr. Dresdens. rad. ari a. ℥j. corallior. rubr. ℥j.
 Oli ꝑis gr. v. M. F. l. a. pulvis. D. in chartâ, S. Pulver auf 6. mahl.

℞. Tinctura ꝑis cydon. ℥iij. arcan. ꝑri ℥j. M. D. in vitro, S. Digestiv essent 30. Tropffen auf einmahl.

Postquam horum & similium per aliquot dies continuato usu humores mobiles, & corpora fluxilia facta sunt, deveniendum est ad

PURGANTIA, quibus eliminatur, quicquid non potest corrigi, ne pars sincera trahatur. Circa hæc verò notandum, quod, ratione causarum & conjunctorum affectuum, quandoque hinc nullum inveniant locum, (ut ubi bilis abundat, & sulphureæ prædominantur particulæ, quod in febrium continuarum vigiliis accidit) nisi forsan in minori dosi, & statim à principio morbi, ubi status adhuc quasi neuter est, causæque prægressæ, ut error in diætâ, tale quid indicent. Sint verò lenia, potissimum ex rhabarbaro parata; alias non facile iterum sisti potest alvus. Contra quandoque horum usus maximè est necessarius, ut in cacochymicis, ubi non raro summa exhibenda est dosi, ut in maniacorum & melancholicorum vigiliis, quæ etiam magis humidam purgantium quam siccam formam expetunt. Semper verò conjunctis affectibus specificè opposita remedia sunt admiscenda, quæ nos, uti antea dictum, studio prætermittimus, & ne



multorum affectuum curationem tædiosè compilemus, ad
præcticos horum cupidos ablegamus. Quæ verò magis ci-
tra aliorum concurrentium affectuum respectum, & in ma-
gis sibi relictis vigiliis conveniunt, ob stimulum jam in cor-
pore præsentem, sunt sequentia mitiora: *℞. Fear. Quercet.*
resin. galap. trochisc. alband. pulp. cassia, rhabarb. Alex. fol. senæ,
mechoacanna alb. & sequentia:

℞. ℞. de fumar. gr. xij. resin. scammon. gr. vj.
℞ii d. gr. iv. essent. succin. q. s. M. F. l. a. pilulæ.
D. in chartâ, S. Purgierpillen auf 1. mahl.

℞. cerberi tricipitis ʒß. magister. g. g. gr. ij.
eleosacch. cinam. gr. iij. M. F. pulvis. S. Purgierpulver.

VOMITORIA uti in maniacorum & melancholicorum
vigiliis sunt efficacissima; ita in reliquis, & potissimum sibi
relictis, rarius in usum trahuntur. Si tamen cruditates &
humores viscidi in stomacho stagnantes, vel in diætâ præ-
gressus error eadem indicent, viresque & æger consentiant,
optima erunt præparata. Hæc enim non minus tuta, quam effi-
cacia sunt, & pituitosam saburram optimè eliminant; infi-
mulque, ob expansum præparatam, Mam Sam depurant. Ta-
lia verò sunt *crocus metallorum purus, Va benedicta Rulandi,*
℞us emeticus Ludov. ℞ius vita &c. Quo & referri possunt *Θ*
Θli, rad. asari & ejus folia in infuso, ex quibus, pro intentione
Medici, variæ componi possunt formulæ.

℞. conserv. beton. ʒj. ℞ri emet. gr. iij. M. F. bolus.

Nec incongruè DIURETICA in subsidium vocantur.
Cum enim non tantum prima viscerum culina mali mine-
ram foveat; sed & ejus seminium ad ipsas sanguinis undas
penetret; ideò ejusmodi abstergentibus opus est, quæ pri-
stinum nitorem sanguini fœnerant, feculentumque & sta-
gnans serum liquant & eliminant. Sint verò temperata, &
magis diluentia aquea, quæ acrimoniam Sinam unà disper-
gunt, & feri defectum augent. Acida & Osa tantum ubi
præternaturalis calor conjunctus est, ut in febrium & ma-
nia-

niacorum vigiliis conveniunt. Talia sunt sem. 4. frig. major. milii solis, violarum, decoctum bordei, & fragorum, petrosel. saxifragia, serum lactis &c. acida item succus citri, & us Oli, Ois, Oli philos. Tinctura Pri simplex & composita, clyffus & iis, Pifat. & Aatus, Tinctura silic. Glauberi, & us aperitivus Penot. essentia lignorum, lap. & troch. de alkek.

℞. arcan. duplicat. Myns. ℞j. Ois volat. succin. gr. iij. M. F. pulvis.

℞. essent. succin. ℞ij. & us Oxi ℞℞. M. D. in vitro.

DIAPHORETICA vi methodi jam pertractanda veniunt. De illis verò notandum, quòd propriè dicta talia discutientia, & nimis volatilia ferè nunquam, nisi forsàn quandoque in continuarum febrium vigiliis, conveniant. Illa enim, cum serum jam antea deficiens per cutis spiracula in ni- miã copiã eliminant, cujus tamen proventus potius procu- randus est, magis totum corpus exsiccant, stimulumque Si- num poris cerebri impingunt firmiùs. Temperata contra, & fixa & ea, quæ ex accidenti sudorem movent, vigiliis ma- gis sunt accommoda, sed nec hæc sola, aut sæpius danda. Il- la enim acriores feri particulas absorbent, & feculentas, per glandularum cutis poros, blandè educunt. Denuò verò il- labenti lymphæ dulci parant aditum, spiritus exorbitantes mitigant, & toti Mæ Sæ suam dulcedinem restituunt. Hæc inter primas tenent opiata, de quorum agendi virtute con- sulte Celeberrimi D. D. Præsidis opiologiam p. 89. & Excellentissimi Ettmulleri Disputationem de opii virtute sudoriferã.

℞. elect. diascord. Frac. ℞j. cinnab. ℞ij, bez. Dis a. ℞℞. laud. opiat. gr. j. sir. d. fumar. q. s. M. F. l. a. bolus, S. Schwibbissen.

℞. C. C. philos. ℞j. ℞ij & is cacheet. ℞℞. lap. bez. occ. gr. iij. Ois volat. succin. gr. iv. laud. opiat. gr. ij. M. F. l. a. pulvis auf 2. mahl.

℞. Tinctura bez. D. D. Præsidis ℞ij. & us Pri rectific. ℞j. essent. anodyn. ℞℞. M. D. in vitro, S. Schwibbe Tinctur 40. Tropffen auf 1. mahl.

Huc etiam pertinent *Tinctura giales, spiritus & decocta lignorum, M.S. Tinctura corallor. c. tu lignor. parat. pulvis bezoard. Senn. & similia.*

ALTERANTIA SPECIFICA & confortantia tandem pertractanda veniunt. Hæc enim sæpius *ὡς δὲ πρὸ μηχανῆς* suppetias ferunt, & Medicorum pariter ac ægrorum certa sunt salutis anchora. Illa verò vel cerebri & totius intemperiam siccam corrigunt & temperant, salinamq; humorum acrimoniam diluunt ac dispergunt, qualia sunt aquea; vel acres & siccos vapores absumunt, & stagnanti in partibus ferro suum restituunt motum, qualia sunt absorbentia fixa, & volatilia in minori dosi propinata; vel sanguinis sulphureitatem domant, & ejus circulum retardant, qualia sunt acida; vel denique suavium *ἀναθημιασῶν* defectum restaurant, & ut pori cerebri interiores nimis diducti conniveant procurant, ipsosque spiritus nimis mobiles ac dephlegmatis inviscant ac diluunt, qualia sunt sulphurea cum aqueis combinata. Omnium verò optima sunt opiata, recenter parata, quæ etiam ad sulphurea pertinent, & pluribus indicationibus satisfaciunt, omnibusque penè vigiliis si non primariò & solitariè, saltim secundariò, & cum aliis accommodata sunt, spiritus enim æstuentes sopiunt ac demulcent, & ut secum habitent faciunt, ipsiusq; sanguinis motum nimium sistunt, humorum acrimoniam temperant & absorbent, & in extremis angustiis vera sunt panacea. Nam si quæ alia, certè

Hæc sunt quæ faciunt altos medicamina somnos,
victaque lethæa lumina nocte premunt.

Hinc opio destitutus medicus vix quicquam laude dignum in vigiliis efficit, ut ita in hoc casu, cum *Sylvio*, mallet non esse Medicus, quam opio carere. Nihilominus nec his solis negotium semper tuto committitur. Videmus enim, quandoque ab iis exhibitis minus solito dormire ægros, vigiliisque exacerbari potius, quam sedari. Sic in scorbuticis & hypochondriacis, ut & in siccitate cerebri nimia & ubi ob stomachi debilitatem *ἀναθημιασῶν* suavium defectus

Etus est, opiata sola, consentientibus Celeberrimis pra-
 Eticis, saepe ne tantillum somni inducunt. Hinc Celeber-
 rimus *B. D. Praeses de medicament. facultat. libr. 2. S. 2. cap. 10. pag.*
204. pro regulâ habet, opium somnum non inducere, nisi se-
 rum in sanguine sit proportionatum. Nam sibi relictum &
 absumit ad somnum necessariam humiditatem, & motum
 lymphæ ad caput retardat. Non minus suis cadunt ausis,
 omnemque perdunt operam, qui in senum vigiliis, hoc mo-
 do procedunt. In illis enim ab opiatis somnus aut non suc-
 cedit ex sententiâ; aut in contrarium abit vitium; sic, ut qui
 antea totas vigilabant noctes, jam à somno excitari nequeant,
 & non raro apoplectici fiant. Hoc casu *νεκρωσιν* verè fiunt
νεκρωσιν & ad æternam vitam viaticum. Spirituum enim re-
 siduorum exigui manipuli in his supprimuntur facilè peni-
 tus, quod & in nimis debilibus accidit, & cum ab istis vincu-
 lis se expedire nequeant, æternum inducunt somnum, Nos
 ut naufragas has syrtes evitemus, regulas quasdam, ex causa-
 rum differentiâ desumptas, observabimus, quæ ita se habent:
 Ubi magis sulphur cum intemperie siccâ, & spirituum copia
 peccat, ut in febrium & maniacorum vigiliis, ibi magis *νεα*
 cum acidis & refrigerantibus conveniunt, & sunt specifica.
 Ubi verò magis acres & sicci vapores exorbitant, spiritusque
 magis motu continuo, quam nimio peccant, quod potissi-
 mum in senum vigiliis occurrit, ibi magis sulphurea balsami-
 ca cum spirituosis, cephalicis, absorbentibus, confortantibus,
 & *νεα* dulcibus miscenda sunt. In utroque verò affectu,
 jam nominatis medicamentis tutò admiscentur opiata in re-
 fractâ dosi. Vid. *Excell. D. D. Praesidis opiologia pag. 84. & 149. it.*
de med. facultat. libr. 1. sect. 3. cap. 1. pag. 81. Tandem ubi à dolo-
 ribus oriuntur vigiliae, ibi ferè sola opiata omnem faciunt pa-
 ginam. Illa enim unâ fideliâ lethæam horum inferunt obli-
 vionem, & in centro causam, si eam tollere nequeunt, deti-
 nent, quatenus spirituum motum, qui tristem illum sensum
 ad primum sensorium defert, retardant, ipsamque naturam
 hoc modo in morbos armant, & non exiguo robore donant.
 Ho-

Horum si memores erimus futuri, non opus erit in peculiaria capita vigiliarum redigere curam, & seorsim fenum, seorsim febricitantium, seorsim maniacorum pertractare; sed facile quisque quibusvis convenientia, ex substratâ materiâ medicâ applicabit; imprimis si conjunctorum affectuum, per specificè opposita, ex propriis fontibus sumenda, habeatur ratio. Selectiora sunt: *specif. cephalicum Michaël. extr. the-riac. recent. rob sambuc. confect. alkerm. compl. magister. corallor. perle preparata, ambra, moschus, confect. de hyacinth. cons. beton. philon. Rom. sirup. papav. errat. de nymph.* item sequentia:

- Rx. *cinnab. nativ. pulv. anodyn. D. D. Pres. a. ʒʒ. M. F. l. a. pulvis D. in chartâ, S. Hauptpulver auf 1. mahl.*
- Rx. *spec. diamb. diamosch. d. a. gr. xv. bez. Dis pulvis anodyn. Rolf. a. gr. v. M. F. pulvis auf 2. mahl.*
- Rx. *MP. de succin. Crat. de ladan. Hartm. a. ʒʒ. smaragd. preparat. gr. iv. extr. op. ambr. gr. iij. M. F. l. a. pilulæ. S. Ruhepillen auf 1. mahl.*

De pilulis notandum, quod opiata in hac forma, juxta *Celeberrimum D. D. Presidem*, præsentius operentur sic, ut sæpius iis vix in ventriculum delatis, obrepit somnus. *vid. de med. compos. sect. 2. cap. 8. de pilulis pag. 120.* Commodè tamen in siccoribus cum humectantibus interpolari possunt, ne serum magis imminuant.

- Rx. *cons. nymph. fl. anth. a. ʒʒ. pulv. epilept. march. ʒj. extr. croc. gr. iij. laud. op. gr. ij. M. F. l. a. bolus.*
- Rx. *Tinctura corall. ʒis ʒli a. ʒj. anodyn. ʒj. M. D. in vitro, S. Stärck und Schlaf-Tinctur 30. Tropffen auf 1. mahl.*
- Rx. *essent. theriacal. ʒij. ʒus ʒli cephal. ʒj. Tinctura anod. ʒj. M. D. in vitro. S. ut supra*
- Rx. *elix. ceph. Rolf. ʒij. ʒus ʒci ʒʒ. essent. croc. rorell. a. ʒj. Tinctura anodyn. gutt. xxiv. M.*

De ʒu ʒci, ut & de pluribus aliis ʒbus volatilibus, certum quidem est, ipsa, quatenus ʒuum motum promovent, vigiliis inducere; unde etiam in affectibus soporosis ipso-



ipforum usus est notorius. An verò vigiliis quoque sedent, hoc est de quo dubitant multi. Nos vigiliis non minus quam somni vitiiis accommoda esse, si non omnia, saltem temperatio- ra, modo in infimâ & mediâ dosi subsistamus, multis duci- mur rationibus. Cum enim serum in partibus ex acido sta- gnans liquent, & intimius sanguini admisceant, ejusque hinc motum ad caput promoveant, multis nominibus com- mendanda veniunt. Adde quod acrimoniam humorum absorbeant, & Mæ Sæ quasi alas addant, ut ad oras cerebri im- petuosius appellatur. Hinc postea spiritus intus latentes for- tiori huic impetui non tam promptè resistunt, sed facilius cedunt, & sanguinem intimius sibi admisceri patiuntur. Hâc viâ vi factâ, una cum sanguine notabilis copia feri ceu imber ingruit, quæ spiritus postea diluit ac demulcet. Huic sententiæ & illud velificatur, quod spiritus ☉*ci inter ano- dyna & demulcentiâ externa communiter referatur, & in nervorum affectibus dolorosis ejus usus sit insignis. Quocir- ca ipsum interdum quoque præternaturalem spirituum mo- tum compescere, ipforumque acriores particulas, quæ motus istius causa sunt, dispergere & suppressere, & hoc modo so- mnum inducere, nulli dubitamus. Notandum verò de eo, quod, sicut nec semper, sed ferè tantum, ubi humorum ace- tositas simul urget, vigiliis est accommodus; ita nec solus, sed cum sulphureis oleosis propinandus sit. Hoc enim modo non minoris efficaciam ipsum spero futurum, quam species diambrae, diamoschi, & ipsum vinum, quæ meritò in senum vigiliis ab autoribus quibusvis aliis præferuntur, cum hæc non minus sale volatili, quam sulphure oleoso polleant. Ma- ximè quoque demulcet acrimoniam salinam & defectum lymphæ cum quâdam energiâ restituit, noxias ejus qua- litates corrigit, bilemque temperat lac, tam artificiale, quàm naturale. Unde *Horatius Augenius epist. & consil. medicinal. libr. 5. epist. 7. pag. 60.* lactis caprini usum hinc magnoperè extollit, & assumendi modum, hodiè adeò decantatum, exponit latius. Artificiale potest fieri ex amygdal. sem. la-

F. *Luc.*



Huc. endiv. aquâ nymph. acac. pæon. lactuc. endiv. corallis, &c.
 ℞. sem. papav. alb. ℥℞. pæon. ℥ij. 4. fr. major. a. ℥j.
 aquæ hypnoticæ Dorncrellii cord. H. S. frig. a. ℥j.
 sambuc. papav. rosar. ceras. nigror. a. q. s.
 M. F. l. a. emulsio. Colaturæ adde magister. matris, per-
 lar. ℥℞.

anodynî gr. iix. sir. papav. albi q. s. ad gratiam.

Intimius quoque humectant, & humorum acrimoniam diluunt ac refrenant potiones & decocta. De iis verò nota, ut & de omnibus in formâ humida propinandis medicamentis magis diffusis, ventriculi rationem semper unâ esse habendam, ne simul & semel his quasi inundetur, sed ut potius dividantur, & cochleatim exhibeantur. Sic pars sub lecti ingressum sumi potest, pars mediâ nocte, somno non insequente. Interpolari etiam possunt cum stomachicis & pulveribus pepticis, qui *Ἐχθάλωσιν* promovent, & stomachum roborant. Fieri verò possunt ex aquâ hypnot. Myns. meliss. borrag. bugloss. beton. acetos. acetosell. portulac. decoct. hord. *tu* *ϕ* cephal. Tincturâ fl. 4. cordial. anodynâ, perlis preparat. smaragd. preparat. succo granator. extr. theriac. confect. de hyacinth. succo citri, electuar. diascord. Fracastor. sirup. corallor. *Q.* de pomis, rad. pæon. belen. nymphææ, cichor. glycyrrh. acetosell. flor. samb. summitat. aneth. croc. anth. paralyf. lil. convall. herb. beton. salv. meliss. rosmarin. chamædr. bacc. parid. gran. kerm. hord. mund. passul. min. diacod. Addi quandoque etiam potest *ϕ*um, ubi consentit stomachus, & catarrhi desunt.

Optimè quoque confortant *electuaria*, quæ fieri possunt ex conf. borrag. bugloss. primul. ver. spec. diamb. de gemm. frig. elix. cephal. pulv. cephal. Craton.

℞. conf. fl. anthos, lil. convall. beton. nymphææ a. ℥℞.

NM. in Ind. cond. ℥ij. conf. alkermes complet.

de hyacinth. a. ℥iv. saul. lactuc. Ital. condit. ℥℞.

specif. cephal. Michaël. ℥j. Tincturæ *ϕ*æ,

magister. anodyn. a. ℥j. sirup. de nymphæâ q. s.

M. F. electuarium, sumatur de eo quantum cuspide latioris cultelli contineri potest. Huc

787

Huc pertinent *pil. de cynogloss. requies Nicol. trochisci & tabula Narcot. Plater Mesues, diacodia, mithridatium, philonia & laudana sine hyoscyamo & mandragora parata*; Hæc enim hodiè internè propinare Medico meritò sit religio, cum sulphure indigesto impuro & naturæ inimico gaudeant.

TOPICA tandem & externa reliqua etiam in subsidium vocanda sunt. Illa enim, ne ventriculus nimiâ medicamento- rum copia obruatur, præcauent, & cum magnam virium suarum partem per cutis poros trajiciant, satis sunt efficacia. Sicuti verò varia sunt; ita plurimis admisceri possunt opiata; quæ tamen hîc, sibi relicta, minoris sunt efficacix; sic, ut iis solis nunquam tutò possit fidi. Sulphur enim horum viscidum, à quo omnis ferè effectus in vigiliis salutaris dependet, minus aptum natum est, ut poris cutis se promptè insinuet, cum eos potius obstruat & obviscet. Unde in emplastris ad suppurationem inducendam rectius adhibentur. Hinc frustra fuit *Platerus*, ubi in podagrâ opium externè adhibuit, *vid. Excell. D. D. Præsidis opiol. p. 133.* Hinc etiam effectus si quis salutaris sequitur ex opio, vulneribus ex hirudinum applicatione ortis indito, quod ex *Langio* in chirurgiâ allegavimus, non tam opio, quàm sanguisugis, est adscribendus. Omnia tamen virtute penitus orbata non sunt externè applicata opiata; sed unâ cum aliis omninò locum habent, imprimis ubi vel virium lapsus internum disuasit usum; vel ubi cerebrum ad horum vim somniferam recipiendam magis aptum est, ut in tenerioribus & fœminis; ut & ubi ob humorum æstum nimium, & seri defectum, ventriculo tutò committi nequeunt. Quæ verò de applicandi loco communiter tradunt autores, ubi modo plantis pedum, naribus, umbilico, oculorum angulis, modo carotidibus & pulsibus eadem committunt, illa sæpius nimis curiosa videntur. Sufficiat caput ferè solum, cui vel ponè aures, vel ad tempora, vel in fronte unguenta, cataplasmata & emplastra convenientissimè applicantur; nisi quod illa, quæ magis ex opio constant, commissuræ coronali & parti posteriori capitis, potissimum circa spi-

F e

nalem



nalem medullam, ob apoplexiæ metum minus convenient; quo & epithemata actu frigida pertinent, quæ capiti immediate vel non, vel cautè applicari debent. Interdum tamen etiam reliquis corporis partibus applicantur, ut testibus in mania, & quandoque in continuis plantis pedum. Peculiare quid in clysteribus opium habere annotarunt practici. Ibi enim tantum abest, ut ejus vires infringantur, ut potius incrementa sumant. Unde Pharmacopœi cujusdam uxor Montispeffuli à clystere, qui ʒj. opii assumpserat, in coma incidisse legitur. Causa quidem non adeò in promptu est; si tamen aliquid dicendum, videtur opium hoc modo citius intra sanguinis undas admitti. Quo & illud facit, quod hîc ad acidum stomachi fermentum non pertingat, succumque pancreaticum præterlabatur; quæ ad ejus correctionem aliquid conferre posse non est improbabile; cum acida extra corpus opiatis mista, illa virtute suâ magnam partem castrent. Ob hanc forsitan causam inter alia rarius damnatur voti, usu opiatorum, in corporibus quæ copiosis acidis scætant humoribus. Illa enim dum resolutum & viscidum sulphur coagulant & grumescere faciunt, omnem spiritus ligandi vim infringunt. Hinc merito opiata cum summâ cautione, vel non, nisi ubi extremi dolores urgent, & interna non juvant, clysteribus admiscenda sunt. Ibi enim anceps remedium experiri præstat, quam nullum. Assumatur verò non tam crudum, quam præparatum & cum aliis, nec diu retineatur in corpore; & si quis insperatus sequatur effectus, corrigatur noxa alio clystere ex vino malvatico; internè vero propinentur castorina opiatorum antidotus. Parari potest talis clyster ex rad. alb. malv. lil. alb. herb. s. emollient. fl. chamom. melilot. malv. arbor. sem. psyll. hyoscyam. portulac. papav. ficibus, speciebus coctis in lacte vaccino, vel jure vervecum, & colaturæ additis philon. Rom. & requiet. Nicol. a. ʒj.

Famosa quoque ob efficaciam sunt balnea aquæ dulcis vacuo stomacho celebrata, sine sudore excessivo, & lotiones capitis & pedum. Illa enim per insensiles nervorum meatus

roru-

rorulentas quasdam particulas ad cerebrum demittunt, & totum corpus humectant, spiritusque suo tepore demulcent. Unde à multis non immeritò omnibus externis præferuntur. In febrium tamen continuarum vigiliis horum usus est pro- scribendus, malignitatem enim ad cor propellunt, & præsen- tissimam noxam inde notarunt practici.

R. rad. asari. rhod. paon. a. ℥ij.

herb. asari, origan. beton. rosmarin. pol. montan. serpil. lac- tuc. a. mij.

fol. salicis, vitium a. mij.

fl. papav. errat. chamom. nymphaea, sambuc. til. a. p. iv.

hyoscyam c. sem. pij. summitat. aneth. oculor. popul. a. mij.

cap. papav. c. sem. n. iix. cortic. rad. mandrag. ℥vi.

M. D. in chartâ S. species jun. Wade. Coctis speciebus addi quoque potest una vel altera mensura vini vel lactis: Ex his possunt fieri etiam *capitiluvia* & *pediluvia*, ubi loco capitum, papaveris quidam folas horum coronas recipiunt, & pro ar- cano habent. Huc etiam pertinet *lixivium sapientie Myns. Excellentissimus D.D. Præses* solum decoctum fol. lactucæ pro capitiluvio cum fructu adhibuit.

Post horum usum non incongruè applicantur *Unguenta*, quæ humectant & spiritus demulcent, qualia sunt *populeum recens, somniferum Sennerti, alabastrinum*, ut & sequens:

R. unguent somnifer. ℥℞. Si NM express.

nucl. persic. a. ℥i. hyose. ℥℞. campb. ℥℞.

extract. croc. gr. vj. opii ℥℞.

M. F. unguentum pro illinendis temporibus. Huc per- tinent *balsama hypnotica, unguentum anodynum Myns. emplastra somnifera, theriaca* etiam sola, vel *requies Nicolai* in formâ ca- taplasmatis temporibus, vel pone aures, applicatur cum fru- ctu.

Fomenta quoque ex omentis recens mactatorum ani- malium, vel ex pulmonibus, vel animalia tota cum fructu ap- plicantur, ut columbæ & catuli per medium secti, calideque imponuntur, sincipiti, vel plantis pedum, item panis tostus vino malvatico inebriatus & applicatus, quæ omnia spiritus

egregiè demulcent. *Epithemata* quoque non sunt de nihilo, & penè similem, cum jam nominatis, habent effectum. Fieri possunt ex *rad. irid. Florent. peon. herb. meliss. beton. salu. verben. ocymi. fl. anth. lil. convall. stœchad. arab. croci, sem. hyoscyam, alb.* quæ species sequenti emulsione humectatæ applicari possunt:

Rx. sem. lactuc. papav. a. ʒʒ. nucl. persicor. ʒj. hyoscyam ʒiij. aqua verben. sambuc. solan. rosar. fl. tilia a. q. s. M.

Potest etiam ex solis foliis & sem. *hyoscyami* fieri sacculus, vel ex aquâ *rosarum* destillat. capiti imponi. Sorbait in vigiliis pestis epithema commendat ex *flor. sambuc. amygd. amar. nucl. persic. aqua verben. + corosar.* cui & parum O i addit. Huc etiam faciunt *oxyrrhodina* ex aquis refrigerantibus c. +to , *camphora* & O o, & quandoq; sola aqua frigida vel lac tepidum. Reliqua ab autoribus huc relata, ut *glandes ex opio, vel cortic. mandrag. suffimenta ex styrace & opio, & ex his aquas destillatas, & piles, seu poma somnifera,* à quibusdam pro arcanis habita, utpote vel minus tuta, vel minus efficacia, studiosè prætermittimus.

Ad externa quoque referri possunt *musica non nimis vocalis, cantus submissior & blanda vocis modulatio, lenesque aquarum susurri.* Hæc enim serum movent, spiritus demulcent, & ad cerebri meditullium blandè invitant, turbulentosque magis sedatos reddunt. Unde non sine causâ communiter musicæ tribuitur, quod homines feroces effœminet; quod & *Chironem* fecisse *Ovidius libr. i. de arte* his innuit:

*Phyllirides puerum cithara præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.*

Hinc & *Mecenatem* hoc modo invitasse somnum *Seneca* supra citato loco refert.

CAPUT X.

Diætam subnectit.

In naturali, ubi virium adest lapsus, & ventriculus appetit, cibi sint laudabilis succi & laxioris consistentiæ, quorum centra facile solvi possunt, ut *juscula gallinacea, amygdalina, caponum, cerebella animalium, gelatinæ C.C.* Carnes
sint

788
 sint recentes non salitæ aut fumo induratæ, non sint cras-
 siores, non annosorum animalium, non assatæ nimis, sed ma-
 gis elixæ. Nec peccent ingesta quantitate aut utendi mo-
 do, & tempore, præstat non satiari, quam gravari cibo; in-
 edia verò omnium maximè nocet. Contra ubi solidorum
 appetitus est dejectus, ibi ad comedendum perperam soli-
 citantur ægri. Similiter ubi vires perstant, ut in maniacor-
 um vigiliis, analepticis non est opus. Ibi enim vires præ-
 stat infringere, quam augere. Unde tunc magis conveniunt
 cibi tenues, humectantes, acidiusculi, ut & lactuca, quæ
 conciliandi somni gratia avorum cœnam claudebat, cum
 hodie ad appetitum excitandum ex acetariis nostras dapes
 inchoet. Aromata non nisi ubi calor totius & stomachi defi-
 cit conveniunt moderato usu. Panis sit benè, sed non ni-
 mis coctus, & bene fermentatus. Potus in febrium & ma-
 niacorum vigiliis sit cerevisia tenuis, serum lactis caprinum
 destillatum & coctum, aqua hordei, decoctum scorz c. C. C.
 & aquæ destillatæ refrigerantes, uti & sola aqua frigida.

In senum vero vigiliis etiam vini generosi & vi medicati
 moderatus usus non nocet. In reliquo potu quantitas sit paulo
 largior, non tamen excessiva. Nam sicut juxta effatum l. 2.
 aph. 11. facilius potu, quam cibo reficimur; ita hîc magis no-
 cet defectus, quam excessus. Quin sæpè solus potus largior
 felicissimè sanat vigiliis.

In vitali aër non sit luminosus, lunæ & luminis remo-
 veatur splendor, sitque humidiusculus, moderatè ad frigi-
 ditatem inclinans; In febrium verò vigiliis magis prodest
 calidus.

In animali præstat statim à cœnâ cubitum concedere,
 quam feriis multam noctem consumere. Quo circa, cui sani-
 tas curæ est, cautius circa perniciosissimas lucubrationes no-
 cturnas mercari discat. Invigilet sapientiæ studio ita, ut &
 somno quiescat, immoreturque studiis, sed non immoriatur.
 Sin vero in illorum gratiam somno aliquid detrahendum est,
 eligatur potius antelucanum tempus, & præmittatur cœna
 Platonica, vel compenset meridiationibus, quod noctu fa-
 ctum est dispendium, imprimis si sit senex æger. Quiescat
 in

in lecto molli, & decumbat in latus sibi magis accommodum.
Motus & quies sint moderata, hæc tamen præ illo amica sit.

In *Excretis* alvus si officii sui sit immemor per superius dicta commune fiat. Venus ubi virium adest lapsus, proscribatur penitus. In reliquis, ubi vires cum ætate consentiunt, & ubi ejus usus diu est intermissus, honestis modis suadeatur.

Affectus animi furcâ & fuste expellantur, licet usque recurrant, ne generosissimorum medicamentorum vim eludant. Diluantur curæ uno vel altero vini moderato haustu, non ut mergat, sed ut deprimat ægram mentem.

Omnipotentia gloria!

ENthea Te virtus animi, Te fama parentis
 Commendat, merito hinc nomen adauget honor

Nob. & Clarissimo Dn. Doctorando, maturatis probè profectibus, & solidissimâ eruditione non minus ac moribus conspicuo, ac nobis honoribus ex animo gratulor & invidendos successus apprecor

PRÆSES.

Sonnet.

Was der gemeine Wahn vom seltnen Phœnix schreibt/
 Das kan des liebsten freunds gelehrte Schrift bezeugen,
 Der Seelge Sperling lebt hier nun in eignen Zweigen/
 (Es tröhnt der Lorbeer-Kranz im tode noch das Haupt)
 Weil hier des Vaters-Ruhm den Edlen Sohn antreibt,
 So kann ein Ceder-Baum wol in die Höhe steigen/
 Wenn Sich die Neste selbst hin zu den Wolcken neigen.
 Wohl! dem ein solcher Ruhm in Büch- und Kindern bleibt!
 Es weiß die weise Welt die weisen hohen Fragen/
 Die vormahls Elb' und Saal in klugen Streit gebracht;
 Bis endlich selbst der Todt den Ende-Schluss gemacht.
 Nun wird die ganze Welt von Neuen-Frieden sagen:
 Es scheint/ ob Wittenberg mit Jena sich vertragen/
 Weil Jena Sperlings-Schrift hier ganz vor rühmlich acht.
 M. Johann Christian Büttner.

✠✠✠


153154

X2615746

R

W17







21

789

I. N. J.
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
MEDICAM

DE
PERVIGILIO,

Consentiente
Gratioso Ordine Medico in Illustri Salanâ,
P R Æ S I D E
Viro

Excellentissimo, atque Experientissimo

**DN. GEORGIO WOLFFGAN-
GO WEDELIO,**

Medicinæ Doctore, Theoret. P. P. Archiatro Duca-
li Saxonico, & S. R. I. Academiae Naturæ Curiosorum
Adjuncto,

Facultatis Medicæ h. t. Decano,
Dn. Praeceptore & Patrono suo summè observando,

PRO LICENTIA

*assumendi Doctoris gradum
Publico examini submittit*

PAULUS GOTTFRIED Sperling/

Wittebergensis Saxo,
In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis,
Ad diem Februarii, Anno 1680.

JENÆ, Typis WERTHERIANIS.

